



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Aliud Elogium S. Thomæ Aquinatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

ALIUD ELOGIUM S. THOMÆ AQUINATIS.

**H**OMAS Angelus erat, antequam esset Doctor Angelicus:  
Angelorum Discipulus, & penè amulus fuit:  
Multæ ab Angelis didicit, quædam Angelos docere potuit.  
Aut Theologiam ad terras deduxit è celo,  
Aut scivit in via quod videtur in Patria:  
Audit̄ Apostolus arcana verba, sed ille tacuit:  
Quæ Paulo dicere non licuit, hac Thomas dixit:  
Mysteriorum compendium est Summa Thomæ,  
Collegit in ea quidquid doceri potest aut sciri:  
Inclusit Hieronymos, Augustinos, Ambrosios, Gregorios:  
Inclusit seipsum, major seipso & minor:  
Epitomen fecit aliena sapientia, & Summam suæ:  
Didicit omnes qui Thomam intelligit,  
Nec totum Thomam intelligit qui omnes didicit.  
Augustinus aliquando obscurus, apud Thomam est clarus.  
Vbi alij dubitant, Thomas non ambigit:  
Vbi omnes desinunt, inde incipit:  
Inde progressus, eò ascendit quod nemo preiverat.  
Sequitur præviam fidem, & eam dicit:  
Sociam facit Theologiam fidei & Magistrum,  
Ostendit quidquid illa credit,  
Neque aliud supereft nisi lumen Gloræ, post Summam Thomæ.  
De Deo loquitur quasi vidisset:  
De Angelis sic disputat quasi Spiritus esset:  
Ingerat horrorem peccati dum ostendit:  
Amabiles facit virtutes dum describit:  
Incarnatum Verbum sic explicat quasi vox Verbi.  
Siste aliquando, Thoma, peruenit ad summum Summa tua;  
Ire ulterius non potest, nisi aliquid querat post omnia.

Benè scripsisti de me Thoma.

Probat scripturam hominis qui character est Patris:  
Silete lingue, ubi Deus laudator;  
Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.  
Appellent homines Thomam Angelum Theologie,  
Dicant Pontifices Summam tot miraculis constare, quot titulis?  
Plus dicit una vox benè.  
Christus est Verbum Patris, Thomas adverbium Filij.

Quam ergo mercedem accipies?

Quam benè scripserit, collige ex testimonio;  
Quam bene tixerit, disce ex premio;  
Ut scias meritum virtutis, datur optio premij;  
Quid eligat nisi Deum qui novit pretium Dei?  
Nec potuit eligere majus, nec debuit minus:  
Male scripserat si aliter elegisset.

Accinebat olim R. P. PETRUS LABBE,  
Societatis Jesu.